

Fejér, Georgius: Codex diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis.

Tomi IV. Vol. 1. Budae, 1829.192. oldal.

[https://library.hungaricana.hu/hu/view/KozMagyOkmanytarak\\_Codex\\_Diplomaticus\\_Tom\\_4\\_vol\\_1/?pg=191&layout=s](https://library.hungaricana.hu/hu/view/KozMagyOkmanytarak_Codex_Diplomaticus_Tom_4_vol_1/?pg=191&layout=s)

A. Ch. 1240. J Bartholomaeus Episcopus Vesprimiensis moniales in honorem S. Catharinae, Ord. Praed. Vesprimii fundat.

Bartholomaeus , Dei gratia , Vesprimiensis Episcopus, omnibus praesentes litteras inspecturis, salutem in Domino Iesu Christo. Licet bonae intentionis propositum a nobis sit assidue studiosius adiuuandum, in his tamen eura potior est adiiibenda, in quibus specialiter et animarum remediis consulitur, et incrementis ecclesiarum salubriter prouidetur. Nouerint igitur vniuersi, quod nos B. Catharinam Virginem, cuius precibus nos semper adiuuari credimus, volentes nobis esse propitiam, tam in corpore, quam in anima; in loco Vesprim quamdam Ecclesiam in honorem eiusdem Virginis fabricari fecimus, et in eadem collegium Sanctimonialium collocauimus, ad quarum sustentationem sexdecim marcas argenti annuatim de consensu capituli nostri de reddituum nostrorum prouentibus ordinauimus; **in villis Leueld, Meneka, Chytur, et Iutos 400 capetias**, et de decimis pertinentibus ad cultellum, idest ad decimas de Kea, 4. marcas pro vestibus; item in cultello de Euse 100. agnos, pro pellibus et refectioe sororum infirmarum. Item in vino de cultello de Poloznik 50. cubulos vini cum magno cubulo, qui vulgo Ako vocatur. Item in Cultello de Kal 50. cubulos vini cum eodem cubulo. Et haec omnia sedecim marcas ascendunt, sicut superius est expressum» Et ne vlli vnquam hominum liceat hanc nostrae ordinationis et donationis paginam infirmare, praesentis scripti patrocinio communiri, et sigillorum nostri et capituli nostri fecimus munimine roborari.

Datum in Ereke V. Kalend. Iulii anno MCCXL. Henrico Praeposito, Laurentio Cantore, Ioanne Lectore, Mathia Custode, Iacobo Simigiensi, Fauo Zaladiensi, Kalenda Albensi, Petro Vesprimiensi, Abbate de S. Andrea, Germano Segusd. Archidiacono in ecclesia nostra feliciter existentibus."